

v. 14.

b. confirmatum proprio testimonio proponit vers. 14.

v. 15.

c. declarat à causa, nimirum

α. Pravitate sive negatione rectitudinis (*curvitate, σκολιότης*) inemendabili. Subjectum repetimus ex præcedenti versu; *universum*. Estque id capiendum de his, quæ fiunt sub sole. Opera Dei quidem omnia valde bona sunt, quæ potentiam & sapientiam causæ satis superque arguunt. Sunt enim ordinatissima, plenissima, utilissima. Sed propter hominem creatura vanitati & maledictioni subjecta est; & hoc ipsum sapienter atque ex ordine. Et quandoquidem omnia humano usui facta sunt, prout ipse adhibuerit; unde rectè vitæ hujus *οικία* aut *σκηνή χειροποίητη* ex 2. Cor. 5: 1, dici possit: in omni ista humana dispositione multiplex pravitas apparet; quæ satis testatur usurpatoris maledictionem. *Juchal* impersonaliter ponitur, non potest corrigere, subaudi, quisquam, humano scilicet ingenio.

β. defectu sive negatione perfectionis innumerabili. v. 15. Quum omnia, quæ sunt & fiunt, finita sint, tum singula, tum in cumulo; magna imperfectionis exaggeratio est, innumerabilem & quasi infinitum defectum dicere. deinde *ὄξύμωρον* est. Neque enim, quod non est, numeratur, sed quod est. At sapientis est æstimare, non quod rebus adest, sed quod deest; ut ei gloria cedat soli, à quo & ad quem omnia, cui nihil deest; atque ut non præsentia, sed invisibilia, perfecta & æterna amentur & expectentur.

v. 16.

d. demonstrat in

α. Probatione sapientiæ &amp; stultitiæ. Vide

β. *αἰφορμὴν* ejus probationis: qua testificationi experientiæ queritur probabilitas. Ea est ingens & accumulata sapientiæ ac scientiæ possessio. v. 16.

v. 17.

γ. *ἀρέσων*, Dedi cor meum ad cognoscendum, nimirum in suâ quodq; ratione & qualitate, & quantum quidque ad vitam beatam afferret vel obesset (quod explicatiùs dicit c. 2. v. 3.)

α. sapientiam & scientiam ex una parte. quarum illa sita est in facultate & habitu rectè de omnibus judicandi, & inveniendi, quæ agere aut facere decorum, aut utile, aut jucundum sit: hæc in industria rem quamq; distinctissimè cognoscendi, & aptissimè adhibendi.

β. Furorem & stultitiam ex altera parte. quorum ille est

est